

vinciae, quia pro omnibus eadem conditiones erant, quoad curam animarum in tuto posita est. Saltem in principiis (theoretice) applicata est lex communis. Mens S. C. de Propaganda fide, totum regimen populi ad tramitem juris communis ordinandi, nullum ambiguitati locum linquebat.

Attamen, de facto, conditio episcoporum in his regionibus non erat secundum eorum proprium desiderium. Enim vero, omnes parochiae in Bosna et Hercegovina, longe major pars earum in Dalmatia et Slavonia adnexae erant conventibus franciscanis. Clerum pro cura pastoralis e suo gremio educabat et providebat provincia; ipsa unumquemque pro singulis parochiis praesentabat episcopo approbandum, quem idoneum repertum approbare oportebat. Super eodem episcopus non habebat potestatem exclusive sed cumulative cum superiore regulari. Proventus et praestationes e parochiis, dempta sustentatione parochi, conventui proprio cedebant. Ipsius episcopi sustentationi ac necessitatibus conventus, respective provincia, vario modo providebant,⁹⁶ nam carebat propria residentia, cathedrali et bene-

⁹⁶ Usque ad episcopum Ogramić, provincia, praeter sustentationem in conventu, cedebat episcopis etiam praestationes ex aliquibus paroeciis pro eorum necessitatibus. Hujusmodi vero paroeciae appellabantur s. d. paroeciae mensae episcopalis. Ita episcopus Lučić in sua relatione de a. 1638 enumerat parochias mensae episcopalis: Selzi, Dragotin... ac unicuique apponit verba »haec (parochia) subest nostrae curae«, vel »haec etiam subest nostrae curae«; pro aliis autem indicat diversos conventus quibus subsunt; — cfr. *Archivum Prop.*, Vis. e Coll., v. 17 f. 137r sq. — Anno autem 1646 S. Congregatio jubet, ut secundum vigentem morem redditus quarundam parochiarum pro episcopi sustentatione eidem restituantur; — cfr. Mandić, *Aca franc. Hercegovinae*, I, 141 n. 136. In determinatione confinii inter episcopatus Bosnensem et Belgradensem adest et sequens articulus: »Che le parrochie delli frati della Provincia di Bosna Argentina contenute nella amministazione del vescovo di Belgrado siano soggette al detto vescovo in pertinentibus ad curam animarum tantum, e per quella siano obligati li frati in luogo della Quarta canonica, che si paga a vescovi conforme alla dispositione de Sacri Canoni, dare al suddetto vescovo di Belgrado la parochia di Dragotino tam in spiritualibus, quam in temporalibus« — *Archivum Prop.*, Acta, 1648, v. 18 f. 3v—4r. Hujusmodi provisio post mortem episcopi Maravić extincta est, et ad reclamationem episcopi Ogramić a. 1672 rescripsit S. Congregatio — Negative. Arch. Con. Sibenik, Liber Archivialis, f. XLVIII—XLIX.